septenas sufficit explicare, quae diversorum modorum et diversarum sunt qualitatum. Primus modus est, cum vox tono deponitur et tono et semitonio duobusque tonis intenditur, ut A et D. Secundus modus est, cum vox duobus tonis remissa semitonio et duobus tonis intenditur, ut B et E. Tertius est, qui semitonio et duobus tonis descendit, duobus vero tonis ascendit, ut C et F. Quartus vero deponitur tono, surgit autem per duos tonos et semitonium, ut G. Et nota, quia se per ordinem sequuntur, ut primus in A, secundus in B, tertius in C, item primus in D, secundus in E, tertius in F, quartus in G. Itemque nota has vocum affinitates per diatessaron et diapente constrictas. A enim ad D et B ad E et C ad F a gravibus diatessaron, ab acutis vero diapente coniungitur hoc modo.

Siquae aliae sunt affinitates [DE ALIIS AFFINIT.] eas quoque similiter diatessaron et diapente fecerunt. Nam cum diatessaron et diapente diapason in se habeat, et easdem litteras latere utroque contineat, semper in medio eius spatio aliqua est littera, quae ad utrumque diapason latus ita convenit, ut cum litterae a gravibus diatessaron reddit, eidem in acutis diapente conveniat, ut in superiori figura notatur. Et cum a gravibus diapente continuit, eidem et superioribus diatessaron dabit, ut A E a. a ♮ et E in depositione concordant, quia in utraque duobus tonis semitonioque conficitur. Itemque G cum ad C et D (i. diat. et diapen.) per easdem species resonet, unius depositionem alterius elevationem sumpsit. Nam C et G duobus pariter tonis et semitonio surgunt. Et D et G tono et semitonio pariter inflectuntur. b vero rotundum quod minus est regulare, quod adiunctum vel molle dicunt, cum F habet concordiam, et ideo additum est, quia F cum quartam a se ♮ tritono differentem nequibat habere concordiam. Utraque autem b ♮ in eadem neuma non iungas. In eodem cantu maxime b molli utamur, in quibus F F amplius continuatur gravis et acuta, ubi et quandam confusionem et transformationem videtur facere.

ut G sonet per tonum a deuterum, cum ipsa b sonet tritum. Unde etiam multis nec mentio facta est. Altera vero ♮ in communi placuit. Quod si ipsam b molle vis omnino non habere, neumas in quibus ipsa est ita tempera, ut pro F G a et ipsa b habeas G a ♮ c. Aut si talis est neuma, quae post D E F in elevatione vult duos tonos et semitonium, quod ipsa b facit, aut post D E F in depositione vult duos tonos, pro D E F assume a ♮ c, quae eiusdem modi et praedictas depositiones et elevationes regulariter habent. Huiusmodi enim elevationes et depositiones inter D E F et a ♮ c dare discernens confusionem maxime contrariam tollit.

De similitudine vocum pauca perstrinximus, quia quantum in diversis rebus similitudo congruit, tantum ipsa diversitas per quam mens confusa diutius poterat laborare minuitur. Semper enim adunata divisis facilius capiuntur.

Omnis itaque modi (i. similitudines) distinctionesque modorum (i. dissimilitudines) his tribus aptantur (s. C D E) vocibus. Distinctiones autem dico eas quae a plerisque differentiae vocantur. Differentia autem idcirco dicitur, eo quod discernat seu separet plagas ab (proteū?) autentis. Ceterum abusive dicitur (s. diff.). Ergo omnes aliae voces cum his aliquam habent concordiam seu in depositione seu in elevatione. Nullae vero in utroque (i. in depos. et elevat.) se exhibent similes cum aliis nisi in diapason. Sed harum similitudinem omnium in hanc figuram quisquis requisierit repperire poterit. DE SIMILITUDINE VOCUM

QUARUM DIAPA SON SOLA PERFICIT



Superdictae autem voces per omnia similes sunt, ut pote aliae in depositione aliae in utroque, ita similes faciunt neumas, adeo ut unius tali vel aliae in elevatione